

PARS GENERALIS. §

Divinam studiis nostris benedictionem imploramus.

§. 10. Ab Infusione properamus ad *Assuefactionem*, quæ fit per actionis imprimementis quantitatem. Quantitas autem est vel extensiva, vel intensiva: Extensiva consistit in *Actionum multitudine*; Intensiva in *magnitudine*, seu ad habitum imprimendum fortitudine. Prius requisitum etiam vulgo notum est, cum dicunt: Habitum comparari crebris actionibus; de posteriori silent.

§. 11. *Multitudinis* seu crebritatis in agendo, efficacia confirmatur vulgari illo:

*Adde parvum parvo, magnum cumulabis acervum.*

Et Ovidius canit:

*Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu,*

*Et teritur pressa vomer aduncus humo.*

Quò pertinet Æsopi testudo, aquilâ celerior, & Germanorum proverbium: